1564. d. 25. Febr. Ex ms. Bibl. Zalus: No 244.

Sigismundo Augusto Regi Poloniæ
Martinus Cromerus.

12

Ante septimum diem scripsi Mti v. R. quæ sese offerebant, easq. literas Rmo d. Posnanien. istuc perferendas dedi. Nunc nihil est quod scribam, præter quod S. Regina Rom: ante sextum diem peperit filiam, et quod natu maxima ejus filia non longe abfuit a periculo, cum eam pater effreni equo veheret in vehiculo. Sed eam pater idem arreptam ejecit in nivem non sine læsione cubiti sui, modica tamen. Equus quidem in murum impingens, concidit et expiravit. Utrumq. in nova Civitate accidit. Cæs: Mtas videtur in dies meliusculæ habere. Tussi tamen non caret. Ante mensem majum non patienter, medici eam hinc sese commovere, licet in Bohemiam ea se conferre gestiat. De comitijs Imperialibus nihil explorati adhuc habemus. E conventu Spirensi, de quo antea scripsi, aliquid in utramvis partem expectatur. De motibus bellicis nihil usquam auditur in his regionibus. Inter Gallos et Anglos adhuc de pace agitur. Conventura ea speratur. Si Angli Gallis obsides reddiderint. Sed si id facient. Caleti recuperandi spe excident. Galli primores suspecti sunt sibi invicem. Unde novum timetur incendium. Hispanus rex ditat, et evehit propinquos pontifi-

cis

Nr 15 f1

pontificis. Wie Marcin za co ptaszcz dat.
S. Rex Rom delata de more Pontifici
obediêntia iam confirmatus est. Filij
ejus navigant: imo iam appulisse credun:
tur in Hisp: De matrimonijs in susper:
so sunt adhuc omnia. Quod restat etc
Vien 25. Februar. 1564.

Królowa Rzym. urodziła córkę